

46.

46

D. O. M. A.  
DISPUTATIO JURIDICA

De

# SUBSTITUTIONIBUS,

*Quam*

Consensu & Autoritate Nobilissimi  
& Amplissimi Jctorum Ordinis  
in illustri Leucori,

*SUB PRÆSIDIO*

*VIRI*

*Amplissimi, Clarissimi & Consultissimi,*

**DN. CONRADI CARPZOVII,**

JC. celeberrimi, Cod. Profess. Publ. & Curia Pro-  
vincialis Assessoris dignissimi, Domini Præ-  
ceptoris, Fautoris & Promotoris  
observandi,

*Exercitii gratiâ publicè defendet*

**GOTHOFREDUS ENTER**

Dresdensis,

*In Auditorio Jctorum,*

Ad diem 14. Januar. horis à 7. matutinis.

*WITTEBERGÆ*

Typis CHRISTIANI THAM Acad. Typogr.

*ANNO M DC XXVI.*



DISERTATIO JURIDICA

DE SUBSTITUTIONIBUS


Consensu & Auctoritate Nobilissimi  
& Amplissimi Jurisconsulti  
H. C. G. R. S. S. S. S.

DE CONRADI GARRADONII

GOTTINGEN

ANNO M. DC. LXXV.





δ τ θ.

THESES. I.

**V**ulgatum est *δισκολά τὰ καλά*, difficilia quæ pulchra; quod si de nulla alia Juris nostri materia dici posset, profectò ista esset, quam impræsentiarum **D E** **SUBSTITUTIONIBUS** proponimus. Si enim **Wesembecio** credimus, tanta est hujus materiæ subtilitas & altitudo, ut compendiaria interpretatione exhauriri non possit, *Wesemb. in π. ad h. t. n. f. Schneidvv. pr. h. t.* Quia tamen non adeo debet nos deterrere difficultas quàm allicere utilitas, quæ tanta est, teste **Claudio Chiffetio**, ut nulla sit foecundior, fertiliorq; in tota Jurisprudencia tractatio. Pauca ergò brevibus hisce chartis de ea proponere lubet, cui ausui cursus ut secundior faveat, **Deus faustum esse jubeat.**

II.

Substituere (hoc enim primò dicendum) est in alterius locum aliquem instituire, seu designando providere, ut si fortè opus sit, successor futurus non desit, quasi subinstituire. *Hot. h. l.* Quamvis autem propriè hoc vocabulum hîc usurpetur, de hæredis institutione, tamen minus propriè ad alia quoque transfertur, puta donationes mortis causa & legata *l. 50. D. Leg. 2. l. 10. D. donat. mort. causa.* Fideicommissa *l. 41. §. 3. h. t.* Ad quamvis item surrogationem *l. 18. l. 69. D. Usufr. l. 45. §. f. D. Jure fisci.* Quæ significationes non sunt hujus loci propriæ.

III.

Substitutio definitur, quod sit secundi hæredis institutio *l. 43. §. 2. h. t. l. 20. §. f. d. condit. instit.* dicitur ita, non ratione scripturæ, sic enim & cohæres dicitur *l. 25. D. testam.* sed successionis vel gradus,

duſ, quo prohibetur ſimul hæres eſſe *l. 37. De her. inſt.* propter regulam *l. 69. D. acquir. her.* Itaq; gradus hic ſecundus non ex numero perſonarum, ſed ſucceſſionis ordine voluntate & iudicio teſtatoris deſcripto æſtimandus eſt *l. 2. §. f. h. t.* Quamvis non negârimus gradum aliquando cum loco confundi *l. 2. §. 4. D. ſecund. tab. B. Poſſ. vide Borch. pr. h. t.* Scribebantur enim olim hæredes primo loco, ſeu carta, *Hotom. hîc.* Subſtituti inferiori carta *§. 4. l. d. pup. ſubſt.* Et licet pluribus gradibus facta eſſet ſubſtitutio, ſemper tamen ad inſtitutionem referetur, & ſecunda dicitur, per ſeries enim admittuntur *d. l. 2. §. 4.* Unde ſubſtitutus ſubſtituto, fit ſemper ſubſtitutus inſtituto *d. l. 43. licet longiſſima ſerire. Hot. hîc. Diſſ. mirè Dâ. ad l. 1. & ibi gl. h. t.*

#### IV.

Introducta eſt à Jure Gentium, ſicut & teſtamenta *Dd. ad l. 1. D. teſtam. Treutl. diſp. 10. th. 1. v. 2.* quæ uſu ſubinde accedente invaluit *l. un. pr. C. de cod. toll.* Licet formulæ & modi certi à Jure Civili inducti ſint *Diſſ. Forſt. l. 2. diſp. 13. th. 1.* Unde colligitur, quod Princeps eam non poſſit tollere *arg. d. l. un. junct. §. pen. 1. de J. G. & C. licet formulas poſſit mutare & modum per notat. à Non. pr. d. de teſtam. n. 3. Cagnol. ad l. precib. n. 53. C. de Impub. ſubſt.*

#### V.

Divisiones ſubſtitutionis variæ à variis afferuntur *Treutl. diſp. 11. th. 5. v. 2.* Inter alias tamen ſumma diviſio jactatur, ut ſit vel directa, vel fideicommiſſaria. Directa quæ fit verbis civilibus quaſi imperativis *l. 20. C. de inoff. teſtam.* Fideicommiſſaria quæ fit verbis inflexis & precariis *l. 2. C. comm. divid.* Illa capitur à manu teſtatoris, hæc à manu hæredis *gl. Br. ad rubr. h. t.* Sed profectò licet iſta diviſio communiter ſit recepta, & per ſe vera, tamen ad propoſitum noſtrum, ut & Jus civile minimè accommoda, cum, ubi ſubſtitutionum fit mentio, directa intelligatur, idque jam dudum animadvertit quoque *Don. 6. comm. 23.* In ſubſtitutione noſtra deficit hæres, nulla aditio, in fideicommiſſi ſecus. *Treutl. 11. diſp. th. 5. vol. 2.* Verior eſt illa in Vulgarem & pupillarem diviſio, quæ textualis *l. 1. h. t.* Neque alias plures ſpecies ſubſtitutionum agnoſcimus *Caj. l. 2. t. 4. Don. 6. 23. Vult. pr. h. t.*

Vulga-

## VI.

Vulgaris est secundi hæredis substitutio directa, à testatore quibuscunque legitimè in testamento hæredibus institutis in casum non acquisitæ hæreditatis facta. *Diss. alii aliter ad l. 1. h. t.* Dicitur vulgaris, quia fit vulgò, id est, à quolibet passim, vel vulgariter, id est, directè *arg. l. quidam in f. D. hæred. instit.* Idq; vel verbis generalibus, E. g. *si M. non hæres erit, C. esto vel specialibus puta si hæres esse noluerit vel non potuerit l. 1. h. t. l. 3. C. d. hæred. instit. §. 7. l. de pup. dum tamen sint verba civilia l. 7. h. t.* Et fit vel expressè, quando testator liquidò quem, cui, & ad quotam velit substitutum declarat; Tacitè quando nihil horum fit, ut: *T. M. S. invicem substituti hæredes sunt l. 37. §. 1. D. hæred. instit.* quæ vulgò breviloqua, rectius reciproca dicitur *l. 4. h. t. Hor. hinc.* Alio tamen modo & vulgaris tacita dicitur, quæ scilicet sub expressa pupillari continetur, aliàs præsumpta, ex mente scilicet testatoris præsumpta quasi succedatur, ut *Si T. hæres erit, & priusquam in suam venerit tutelam &c.* Vulgaris tacita inest, si non erit.

## VII.

Diximus fieri institutis legitimè hæredibus, tam liberis *pr. l. de pupill.* quàm extraneis quomodocunq; *pr. h. t.* modo sint tales qui testamenti factionem habeant *arg. §. 3. d. hæred. qual. & differ. §. 25. l. de leg.* Institutis autem sint in testamento necesse, non codicillis *§. 2. Inst. d. Codic. l. 17. C. h. t.* quod tamen benigna interpretatione, ut loquitur *Sezvola*, receptum est. *l. 76. ad Trebell. l. f. C. de codic.* Servus quoque substitui potest, scilicet ut Domino acquirat *§. 3. l. de hæred. instit.* nisi ab eo manumittatur, tunc enim sibi acquirit *§. 4. Inst. d. t. §. f. h. t. l. 3. ff. eod.* Id paulò abstrusioris quæstionis est, quod in *d. §. f. ex l. 40. & seqq. ff. eod.* affert *Justin.* Si testator liberum putavit, qui revera fuit servus, eiq; substituit, comperito errore, cui acquiratur, an servi Domino an substituto? *Dd.* variè respondent *ad d. l. 40.* Nos aliis posthabitis hac vice putamus substitutum accipere tantum quadrantem, Dominum verò servi doctantem, & ita fieri divisionem alterius semissis. *per l. 40. h. t. Treutl. h. t. Harpr. disp. 23. th. 8. Diss. Hotom. ad §. f. h. t.*

A 3

8. Fic

## VIII.

Fit autem hæc substitutio tantum in casum non acquisitæ hæreditatis, *pr. h. r.* rationem vide apud *Don. d. l.* qui tamen hisce duabus quasi conditionibus effertur, si aut noluerit, aut non potuerit. *l. cum proponas C. d. hæ. insti.* ut tunc substitutus admittatur. Hinc nata quæstio, an si testator casum unum puta voluntatis expresserit, alterum non, quæ vulgaris mixta *Dd* dicitur, ad omissum vocasse quoque intelligatur? Et benignior quidem eum admittendum fore opinio est, favore scilicet testantium, qui omnino de hærede sibi prospexisse præsumuntur, quamvis contraria de Jure nostro scripto verior sit. *Treutl. d. l. per. l. 10. D. lib. & posth. Hæn. & multi ab eo allegati disp. 8. th. 13.* Non verò de tempore ad tempus extenditur *l. si ita h. t.* Hæc tamen ex circumstantiis, quid testator voluisse videbitur, melius intelliguntur.

## IX.

Introducuntur sunt substitutiones, ne caduca fierent, *l. un. C. d. cad. toll.* & sic expiraret voluntas testatoris, quod in tantum verum est, ut in filiis quoque Impuberibus, contra jus commune, testationem de rebus alienis prohibens *l. rei D. V. S. l. 30. D. hæ. inst. extenderentur*, vi patriæ potestatis *§. 1. I. d. pup. subst.* hinc, quod alterum est, tollunt jus percipiendarum legitimarum hæreditatum *§. 6. I. d. pup. subst.* Item jus accrescendi (quod tamen fallit in substitutionibus reciprocis *l. 4. 5. h. t. Hot. hic inf. pr.*) si scil. testator volebat deficientis partem non ad cohæredem transferri. Et in summa voluntatibus defunctorum prospicit, nec eos, scientes certum sibi post mortem exiturum hæredem, in anxietate mori permittit. *Nov. 1. inf. Epil.*

## X.

Sciendum autem succedere substitutos institutis, ex qua parte illi scripti sunt hæredes, quod tunc scilicet verum, si prius instituti invicem sibi substituti, vel plures instituti uni substituti sint, maximè si ex disparibus gradibus *§. 3. h. t.* Videtur enim testator ita eos dilexisse in secundo, ut in primo gradu *l. 5. l. 8. h. t.* nisi eos nominibus propriis vocaverit, tunc enim videtur viriles dedisse. *arg. l. 1. 24. D. leg. 1. l. 24. ad Treb. Ang. §. 3. h. t. Treutl. d. l.* Si verò ex paribus



ribus scripti sunt & substituti, æquales erunt, ut *T. M. C. invicem substituti heredes sunt*. Idem est si alii instituti, alii substituti sint, ut *C. & M. heredes sunt, & si non erunt T. & S. substituo*, propter regulam: *Qui non pares cuiusq; partes esse vult, eas cuiq; definit*. *Horom. §. 3. h. t.*

### XI.

Finitur substitutio Vulgaris deficiente casu, sub quo facta intelligitur, *l. 5. C. d. imp. & alius substit. l. 3. l. 69. ff. h. t.* Conditione enim existente, cessat conditionalis dispositio, Res enim incideret in eum casum, à quo incipere non posset, quia bona defuncti seu hæreditas postquam jam adita est, patrimonium est ipsius aduentis proprium, de quo alius non potest testari. Idq; regulariter verum est, ita tamen ut aliquando secus sit, Pone enim duos vel plures hæredes institutos, quibus unus substitutus, an uno deficiente instituto, substitutus in partem deficientis admitteretur? Cumq; hinc voluntatis sit quæstio, totum ex mente, adeoq; verbis seu formulis substitutionis æstimabimus, ut si quidem indefinitè aut conjunctim eos vocavit, non admittatur uno deficiente *l. 23. D. cond. & dem.* Secus si distributivè vel separatim aut alternativè, ut: *si quis existis, vel si hic aut ille &c. tunc Cajus esto hæres*. Sufficit enim in alternativis aut distributivis unam partem compleri *§. f. 1. de her. inst. l. 129. D. V. O. l. 17. §. 1. de leg. 1.* Nisi fortè alternativa sit in dispositione, ut *T. aut S. instituo, & si T. aut S. non erunt, C. substituo*, T. enim repudiante S. admittetur. Licet autem uno adeunte expiret substitutio quoad omnes *l. 37. D. her. inst.* tamen isthæc omnia ex mente testatorum ut plurimum æstimanda.

### XII.

Nonnunquam tamen evenit, ut substitutus cum instituto simul succedant contra *l. 69. D. A. H.* ut in casu, quem supra retulimus ex *§. f. h. t.* Item in eo, qui pro parte hæres institutus purè, pro parte sub conditione, & ei in defectu substituitur, qui casus est *l. 27. pr. D. de her. inst.* item in alio casu *l. 41. vers. quid ergo. D. bon. lib.* quibus adjungatur *l. si plures De her. inst. & ib. Fulg.* quando sub diversis conditionibus duo instituti, utraq; enim veniente, in viriles ambo vocantur.

## XIII.

De eo non usquequaq; convenit, si filiusfamilias instituatur hæres, & ille repudiet, patre autem existente in medio, substitutus per patrem excludatur, Nobis affirmativa placet, per l. 3. l. 8. §. 1. §. f. Inst. h. t. l. 139. D. R. I. l. f. C. de bon. quæ lib. cum simil. Aliud est, si fortè institutus delictum committat antequam adeat, tunc enim substitutus fiscum excludit l. 3. C. de impub. & al. subst. l. un. §. cum an-tem. C. de cad. toll. secus autem est, si adierit l. 5. l. 15. ad Syll. Illud quoque huc pertinet, si minor institutus adeat quidem, sed restituatur postmodum, an substituto locus fiat? Affirm. Don. 6. comm. 24. Fachin. 4. c. 73. Hæn. 8. th. 16.

## XIV.

Effectus substitutionis varii sunt, qui partim ex hætenus dictis colligi poterunt, partim ex Dd. cognoscenda, Nos duos vel tres assignabimus. 1. Testamentum vires accipit ab hac substitutione, modo illud non aliàs defectu extrinseco laboret. 2. Continet vulgaris expressa tacitam pupillarem, nisi aliud testator velle videbitur l. 4. h. t. 3. Tollit quoque jus suitatis ratione transmissionis non aliàs, Fachin. lib. 4. c. 73. 4. Per vulgarem quoq; succedi non pupillo sed testatori volunt Dd. pr. l. de pup. subst. Limitationes tamen vide apud Br. l. 1. h. t. Et tantùm de Vulgari.

## XV.

Substitutio pupillaris est substitutio directa, quâ parens testator liberis suis impuberibus, in potestate existentibus, hæredibus institutis, intra pubertatem decedentibus, hæredem facit, cum sibi ipsis propter ætatem non possint facere. Treutl. d. l. th. 8.

## XVI.

Dicitur pupillaris κατ' ἐπισημόν, Non enim pupillis fit, qui quales sint vide l. 239. D. V. 8. Sed impuberibus, qui abusivè dicuntur pupilli l. f. §. 1. D. V. O. vel quia pupillo succeditur ex eo Diss. Aret. ad l. 1. h. t. Introducta est moribus pr. inst. h. t. l. 2. eod. civilibus arg. l. 8. D. qui sunt sui. l. un. pr. C. de cad. toll. Diss. comm. Dd. Vide Hot. pr. h. t.

## XVII.

Fit autem tantùm liberis, utriusq; tamen sexus §. 8. l. h. t. natis & posthumis l. 2. pr. h. t. tam naturalibus quàm legitimis, l. 10. §. 6. h. t.

*h. t. l. 17. D. adopt. etiam exheredatis §. 4. h. t. l. 20. D. bon. poss. cont. tab.*  
Si modò sibi faciat hæredem, idq; propter vim patriæ potestatis patriæ receptum est. Quæ tamen substitutio minus propriè dicitur, cum non fiat instituto, Vel potest dici nudum nomen sui hoc in casu sufficere, ut dicatur institutus *arg. l. 11. in f. D. lib. & posth.* licet postea exheredetur, sicut & tutelæ datio utiliter ita fit *l. 4. D. test. tut.* Præteritis autem hodie quoque posse fieri verius videtur, E. g. *Si filius, antequam in suam tutelam venerit, decefferit, Cajum substituo, Titius hæres esto.* Jure enim Noviss. Institutio saltem vitiatur, CÆTERA salva manent *auth. ex causa C. de lib. præter.* Puberibus non fit *arg. l. 5. D. testam.* Nec emancipatis etiam Jure Noviss. *per Nov. 118. pr. & c. 1.*

### XVIII.

Quo autem tempore illi in potestate esse debeant controversatur. Quidam sufficere tempus mortis putant *Conn. lib. 10. c. 18. gl. ad l. 2. vers. sed si extraneum. h. t.* A quibus recedimus *l. 41. §. 2. l. 49. §. 1. D. her. instit. §. 3. l. de her. qual.* Insuper & hoc requiritur, quod non in potestatem recidat, *d. l. 2. quod in milite fallit.*

### XIX.

Necesse autem est ut pater sibi testamentum faciat priusquam filio, *d. l. 2.* Sunt enim pupillares tabulæ pars & sequela ejus *§. 6. l. h. t.* & Principali non existente, accessorium tollitur. Potest autem testator in illis tabulis, in quibus scribit hæredem sibi, vel in posteriori seu ima cera pupillo hæredem scribere, quamvis hoc posterius tutius multò sit *§ 3. h. t. Hot. eod.* Hoc obiter addimus, quamvis dicatur substitutio testamentum filii, tamen una solennitate perficitur, si uno contextu scribatur *l. 16. §. 1. l. 20. ff. h. t.*

### XX.

Fit hæc substitutio vel uni puta novissimo, vel omnibus, ratio est *§. 6. l. 37. h. t.* Idq; vel nominatim aut generaliter, puta *Quisquis mihi hæres est, filio idem esto.* Quibus verbis ii vocantur, qui testamento scripti sunt hæredes *l. 3. h. t.* Et adierunt ipsi, Neque acquiritur hoc in casu Parentibus aut Dominis hæreditas. *l. 8. h. t.* Fit in casum acquisitæ hæreditatis & mortis, unus tamen omissus alterum continet, *l. 4. h. t.*



## XXI.

Finitur substitutio pupillaris veniente pubertate *l. 14. h. t.* Nec potest hoc tempus excedi, quamvis arctari possit *l. 38. §. 1. h. t.* ratio sita est in patria potestate *l. 43. §. 1. h. t.* Idq; in tantum verum est, ut nec per vim fideicommissi sustineatur *l. frater C. de fideic. l. 15. h. t. Diff. Dd. quos passim videre est.* Item finitur si substitutus incapax factus *l. 11. h. t.* Item si testator intestatus decessisse dicatur *arg. §. 1. l. de her. que ab intest.* Hoc notandum, si pupillo arrogato substitutio finiatur, datur substituto actio contra arrogatorem. *l. 40. h. t.*

## XXII.

Effectus, 1. quod substituti aditione facta & morte secuta, ad omnia pupilli bona vocentur, sicut & consequenter patris *l. 1. §. 10. l. 4. h. t. l. f. C. de her. instit.* Quod fallit in legitimo *l. 17. D. adopt.* Secus autem si abstineat, tunc enim ad pupilli vocantur. Unde consequens est, non teneri substitutos in hoc casu ad æs alienum patris solvendum, sicut nec pupillus cogeretur, *l. 28. D. reb. author. jud. poss.* Nisi forte ipsi substituti adeant patris quoque hæreditatem. *d. l. 28. pr. l. h. t. Treutl. d. l. th. 9. Hot. pr. h. t.*

## XXIII.

2. Alter effectus quod substitutio hæc excludat omnes alias personas, Agnatos & Cognatos, Matrem quoque, quam tamen ipse filius remove in testamento non posset. *l. 8. §. 5. D. inoff. test. l. 45. h. t.* Et hoc quidem in expressa pupillari verum est, licet durum sit, *Schneidw. h. t. n. 16. propter l. f. C. de Inst. & Subst.* De tacita pupillari, quæ in expressa vulgari continetur, magis se torquent Dd. Et verius est eam non excludi *l. precibus C. de Impub. & alius. Vide Dd. Nam sedes notæ sunt.* Limitatur tamen nisi contrarium appareat ex verbis testatoris aut aliis conjecturis. Item nisi fortè fuisset negligens in petendo tutorem filio *arg. l. 2. §. si mater. ad Tertyll.* Aut si conjuncta persona æquè testatori dilecta esset substituta, ut patruus frater, &c. quod tamen dubitationem admitteret *per d. l. f. l. 15. D. inoff. testam.* sicut & illud, quod dicunt Dd. matrem excludi, si pia causa substituta esset. *per c. f. q. 17. Ang. & Castr. d. l. precibus.*

## XXIV.


De Legitima quoq; mater excluditur per l. 8. §. 3. D. inoff. test. arg. l. 9. C. h. t. c. f. x. de testam. in 6. quod in expressa pupillari itidem, verum est, in tacita secus Diff. Gomez. 1. var. resol. c. 4. n. 8. Zas. 11. de substit. c. 2. §. sed quid. Eff. 6. Dicit tamen Zasius d. l. si mater laboraret inopia, eam esse alendam à substituto Schneidw. d. l. Sanè in nostris cùriis hoc reformatum est, ita ut legitima semper debeat ex quacunque substitutione p. 3. Elect. Constit. c. 8. contra d. c. f. Et hæc de pupillari.

## XXV.

Quasi pupillaris substitutio cùm facili negotio ex jam dictis cognoscatur, hîc, nè molesti simus, subsistimus, aliis uberiores explicationem horum committendo. Nam certè species propria ista non est, sed quasi alia formula, puta si in furore decesserit, effectusq; videntur convenire arg. l. 1. D. minor. Hotom. pr. I. de Vulg. sub. Idem est de Militari, cum sit exorbitans & irregularis, neque ad regulas Juris, de quibus agimus, pertinet. Quia igitur cessandum est, alibi plura dicturi, in nomine S S. Trinitatis jamjam feliciter concludimus.

SOLI DEO GLORIA.






VOM









46

M. A.

JURIDICA

# CTIONIBUS,

ritate Nobilissimi  
torum Ordinis  
leucori,

ESIDIO

i & Consultissimi,

## CARPZOVII,

fess. Publ. & Curia Pro-  
ssimi, Domini Prae-  
& Promotoris

blicè defendet

### US ENTER

nsis,

fctorum,

oris à 7. matutinis.

ERGÆ

HAM Acad. Typogr.

C XXVI.

